

2.

Q. D. B. V.

ORIGINES

URBIS CURIAE,

intimando A&ui Oratorio,

in Illustri CURIANO,

à sacris macurini ad XIV. Decembrii, 1685, habendo;

historicâ enarratione

præmissa,

à

M. JO. CHRISTOPHORO *Caniz*/Gymn. Pa-
trii Con-Rectore.

Litteris Minszelianis.

(2)
Lectori Candido Salutem & Officia!

Iberanda tandem fides, & cujus Augusto Serenissimi Patriæ
Patriæ Natali exhibita CURIANÆ HISTORIÆ Deli-
neatio, ejus nunc, ut prævia ducit Tabula, ipsæ Urbis no-
stræ Origines, ἀνευ προοιμίας, B. C. D. ducant primordia.
Tantum autem abest, ut Tibi B. L. indubiam harum in limine pro-
mittam certitudinem, ut, quod vulgò de integrâ Historici nostra-
tes conqueruntur *Germania*: Illam incerta laborare Antiquitate, hoc
nimium quantum de nostra quoque *Curia* deprehendam verum.
Dabo tamen ea, quæ R. WIDEMANNUS ex monumentis Patriis,
& privatis quorundam Indiculis, sollicitè collegit, ita, ut fidem eo-
rum penes Auctorem esse jubeam, cum subtractis nunc adminicu-
lis illis omnibus, publicis quoque ut plurimum deficientibus, in re-
rū veritatem intimius inquirere, nobis haut licuerit esse felicibus.
Et quamvis hic non abs re fieret, si primò in genere Origines Urbi-
um Germanicarum evolverem, aut Nariscæ nostræ antiquum sta-
tum depingerem, ne actum tamen agerem, aut post Homerum Ili-
ada scriberem, brevitati quantum possibile litaturo studio hæc ce-
rant prætermittenda. Idque eò faciam tutius, quò sollicitius in hoc
posteriori argumento versatus Affinis ac Amicus noster plurimum
honorandus, Dn. M. Joh. Georgius PERTSCHIIUS, ut nunc de Eccle-
sia Leucopolitana, ita vel hoc nomine jam olim de Patria optimè
meritus, in *Originibus Voiclandico-Bonsideliensibus*; illudq; penitus ex-
hauscit ὁ πῶν, B. CONRINGIUS *Exercitationum Academicarum de Republica
Imperii Germanici III, de Urbibus Germanicis*, & passim alibi. Et de eo quidem
nullum superest dubium, quin inter paucas & raras illas Urbes, quas Magna
Germania (quam cum CONRINGIO, Cis-Rhenanæ, quæ paruit Romanis,
& illorum jam tempore florentissimis Urbibus fuit ornata, accuratè volu-
mus contradistinctam;) à Seculo V. ad IX. usq; habuit primas, nostra peni-
tè non comparuerit. Nec tantus Antiquitatis nos tenet pruritus, ut ad IX.
aut X. referamus secula, quibus tamen Germania, olim *informis terris, aspera
caelo, cristis culeu aspectuq;* TAC: *Germ. c. 2.* longè nitidiorem nacta faciem, &
sub *Carolingicis*, primisq; *Saxonice* Imperatoribus, elegantissimas passim ex-
citas vidit urbes, castella constructa munitissima, quo beneficio *Heinrico
Aucupi* cum primis venit obarata, sed finis fere XI. Seculi, si constans Major-

TUEN

(3)
rum traditio, & conjectura à vero haut absone, nos non fallant, lucem hanc nostris accendisse terris, & Patriæ urbi prima dedisse incunabula, creditur rectissimè. Nam quæ plerarumq; urbium est conditio, ut nesciant, in quem exactè annum Natales suos referant, eam & nostræ esse, fatemur ingenui; siue manus Majorum nostrorum instrumentis rusticis obrigentes pennam his consignandis apprehendere neq; viderint, erant enim ruricolæ pleriq; sanctâ simplicitate, ex Seculi illiteratissimi more, conspicui; siue accuratorem hanc consignationem, quod fide dignius, tempus edax rerum, aut flammæ etiâ, quibus crebris depasta hæc urbs, cû publicis Actis, nobis inviderint.

Scilicet, ut altius rem, & ab ovo, quod ajunt, exordiamur, *Heinrico III.* Imperatore A. 1056. vitâ functo, ad Filium ejus *Heinricum IV.* ditionum & Imperii rediit possessio, qui jam ante in Comitibus Triburiensibus, vix tertio ætatis anno expleto, urgente Patre in Regem electus, & Aquisgrani ab *Hermanno*, Episcopo Coloniensi, fuerat consecratus, ut *Lambertus Schafnaburgensis* ad fin. A. 1054. recenset. At cum post Patris obitum, tantis rebus administrandis minor adhuc esset *Heinricus*, quinq; enim tantum annorum erat infantulus, ejus simul cura, & omnium, quibus factum opus erat, administratio *Agnetis* Imperatrici, cui præter nativum in filium amorem, virilis virtus ac prudentia suffragabatur, fuit commissa; quæ, per integrum ferè sexennium, non in eam tantum curam summopere incubuit, ut filius *Heinricus* omnibus Imperatoriis virtutibus quam optimè instrueretur, & ad meliorem ingenii cultum rerumq; maximam spem feliciter emergeret; sed tanta quoque arte statum Reip. periclitantis tutata est, ut nihil in ea tumultus, nihil simultatis tante rei novitas generaret. Verum enim vero, ut varius semper animorum est habitus, sic hæc quoque *Agnetis* tutela & vicaria Imperii administratio variis subjecta fuit criminationibus, & invidis tantum non omnium Imperii Procerum censuris, quæ in cineribus gliscentia muliebris Imperii odia tandem in apertam vim erumpunt, & *Annone* Archi-Episcopo Coloniensi, *Ottone*, *Bavariæ* Duce per *Agnetem* nuper facto, & *Comite Ecberto* Saxone, doli fabricatoribus, *Heinricum* matri, non sine gravi periculo vitæ, surripiunt, ac educationem ejus, atq; ordinationem omnium in Germania rerum, sacris vendicant hominibus, illâ tempestate tamen potentissimis; qui ætate ejus abusi, animum puerilem, naturâ suâ liberalem & clementissimum, suis largiter applicarunt visibus, mentemq; regis sibi planè reddiderunt obnoxiam. Nontacere ævi illius Scriptores, quàm miserè his scelerum ministris turbatum fuerit Imperium, dum egregios Viros, de Rege nunquam malè meritos, omni honore ac statu dejecerunt, omnes Dignitates tam Ecclesiasticas, quam seculares vendiderunt, aliena bona, sub obtentu Regiæ manus, invaserunt, summa in eis miscuerunt, nullumq; scelus, quâvis grande fuerit, committere metas duxerunt. Quano

(4)
Quantum itaq; labis à pessimis his hominibus & optimorum morum in-
quinamentis, *Adelberto* cum primis, *Bremensi* Archi-Episcopo, & *VVerenhero*
Comite, qui Imperatorem totum in potestate continebant suâ, contraxerit
Imperatoris Juventus, cerea, ut aliorum, secundum Poëtam, flecti in vitia, fa-
cile est conjectu, nec ipsi Proceres Germani id non adverterunt, sed magnâ
eum indignatione *Heinrico* in Conventu *Triburiensi* A. 1076. objecerunt,
mores hominum esse inversos, leges abolitas, maledicta, mendacia, homicidia, adulte-
ria, furtiva super terras cumulari, omnem justitiam, pietatis, religionis ac honestatis di-
sciplinam sicut incultive abolescere, & quæ infinita crimina objecta erant alia, à
LAMBERTO Schafnaburgensi ad dictum Annum relata.

Cum primis Saxones, gens bellicosa & in tumultus novasq; res admodum
prona, de *Heinrici* actis nunquàm non erat querula, & cum ipse pro coërcen-
dis magnorum Virorum in Saxoniam studiis, qui ferè quotidianis præliis con-
tendebant, omniq; lege spretâ, jus per armorum vim adferere pulcrum exi-
stimabant, idoneis locorum intervallis excitaret castella in montibus, &
præsidio muniret; illi montanas has munitiones in patriæ libertatis perni-
ciem factas, aperte querebantur, conventus exinde crebros, & in his novas
molitiones contra *Heinrici* Imperium suscipiebant, quibus è Sacris homini-
bus ut plurimum turbationes miscebantur, qui Regis personam non minus invi-
sam reddere Principibus, quàm optimas illius destinationes impedire noverant.

Et has genuinas Castorum illorum montanorum fuisse causas, non est
incredibile, afferente illam cum primis satis disertè *Auctore Vita Heinrici*, i-
nitio p. 301. *Editionis Urstisiana*, quamquam illa postmodum ministrorum
perversitas in alios planè converterit usus. Non enim negare hic possum, *B.*
WIDEMANNUM nostrum in *Chronico* suo, sub Titulo: *von Erbauung der Stadt*
Bos è *Sebastiano Francken* *Chronici Germanici* *Compilatore*, in alia multum
abire, & truculentæ Imperatoris libidini diræq; in subditos exercitiæ crudeli-
tati, arces illas tribuere, quam illius assertionem aperte juvat laudatus sæpè
Schafnaburgensis, ex quo *S. Franck*, pauculis interjectis verbis, sua desumsisse
videtur. Ita enim ille ad A. 1073. *Babenberge* quoq; *Coloniensis* & *Arch-Episco-*
pui (erat is Anno seu Hanno, qui anno superiori Trajecti, dum populus Regi
vehementer obstreperet, pro injuriis & calamitatibus, quibus passim per to-
tum Regnum innocentes opprimebantur, pupilli & viduæ diripiebantur,
monasteria & Ecclesiæ vastabantur, & ruptis iniquitas habenis, in omne
quod voluisset facinus, impune bacchabatur, a rege ægrè exoratus, ut post se
rerum publicarum administrationem susciperet, quam etiam per annum
gesit, & Remp. in pristinum statum dignitatemq; reformare cepit) *offensus*
his, quæ plurima præter æquum & bonum fiebant in palatio, petiit à Rege vacati-

onem

(51)
onem deinceps dari sibi à rerum publicarum administratione, causatim in senium
jam vergentem etatem, & laboriosis Regni negotiis minus minusq; indies sufficientem.
Quod Rex haut difficulter annuit, quia pravis libidinibus suis & juvenilibus ineptiis
jam dudum animadverterat eum graviter offendi, & plerumq;, quantum salvâ Re-
gia dignitate poterat, pro virili portione obniti. Is ergo, uti se in sua recepit, Rex, tan-
quam severissimo Pedagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis o-
mnibus modestie & temperantia frenis, precipitem se dedit, montes omnes colliculosq;
Saxonie & Thuringie, castellis munitissimis extruxit, presidiumq; imposuit. Qui-
bus cum victui necessaria minus sufficerent, permisit, ut ex proximis villis & agris
hostili more pradas agerent, & ad ipsa castella munienda circum quoq; manentes co-
gerent, & impensas affatim convehere, & per se ipsos servili manu desudare. Et ut
plenior prædatoriarum harum arcium constet fœditas, alium insuper ex eo-
dem Schafnaburgensi adferemus locum, idq; eò lubentius, quod WIDEMANNUS
noster eum, Frankium forte καλὰ πόντα secutus, Germanico suo Chronico
expressisse videatur, ita autem ille p. 191. Edit: Pistor: pergit: Interca hi, qui in
castellis suprâ memoratis erant, graviter nimis imminabant populo Saxonie & Thu-
ringie; Omnia que in villis & agris erant, indies eruptione factâ diripiebant. tri-
buta & vectigalia sylvarum & camporum importabilia exigebant, & plerumq; sub
prætextu decimarum totos simul greges abigebant: ipsos provinciales, & plerosq;
ex his honesto loco natos, & re familiari florentissimos, vilium mancipiorum ritu
servire sibi cogebant: filias eorum & uxores, consciis & penè aspicientibus maritis,
violabant: nonnullas etiam vi in castella sua raptas, & quanto tempore libido sug-
gesisset, impudicissime habitas, ad ultimum maritis cum ignominosa exprobrati-
one remittebant. Quorum si quis inter tanta mala suspirare, & internum animi
dolorem levi saltim querimonia solari atq; evaporare ausus fuisset; statim, velut quæ
gravem injuriam Regi fecisset, in vincula conjiciebatur, nec inde exire poterat, nisi
totius suppellectilis sue distractione vitam salutemq; suam redemisset.

Quamquam autem hæc tanta tam indigne perpes forum Saxonum a-
nimos mirum in modum exasperarent, ut omnis dignitas, omnis conditio,
omnis ætas, quæ modo faciendis stipendiis idonea foret, uno animo, pari
voluntate, ad arma conclamaret, & se sub Sacramento promitteret, aut ob-
stinate morituros, aut gentem suam in libertatem vindicaturos, per lega-
tos quoq; circiter Calendas Augusti, dicti 73. Sec. XI. anni, à Rege, Gostarie
tum hærente, postularent, ut castella, quæ ad everisionem Saxonie per sin-
gulos montes colliculosq; extruxerat, dirui juberet, & quæ alia armata
istius petitionis erant capita, leviter tamen & contemtim Rex Legatis re-
spondit, nihilque certi reportantes dimisit. Quod ubi Saxonibus nunci-
atum, atrox omnium mentibus incanduit ira, illique armati & instructi

Goslariam contendunt, castra locant, extrema interminantur; Quo nuntio Rex mente consternata properè in *Hartespurg*, primarium omnium horum castellorum, se contulit, & Legatos pro concilianda pace unâ & alterâ vice mittit, nunquam non hac inter alias conditione dimissos: *Si Rex in argumentum non fictæ pœnitentiæ castella, quæ in perniciem illorum extruxisset, absq; procrastinatione diruat, tunc ad obsequium redituros.* Sed Rex, qui illa omnimodo volebat conservata, nocte, cum nihil minus suspicarentur Saxones, qui omnes vias adhibitis custodibus observare se credebant, per sylvam, latera montis obumbrantem, cum regni insignibus abiit, sicq; hostium custodias pariter & spem fefellit. Nec tamen Saxones inde segniore facti, junctis sibi fœdere Thuringis, ad expugnanda castella ipsa operam suam vertunt, quorum potiora erant *Hartespurg, VVigantenstein, Moseburg, Sasenstein, Spatenberg, Heimenburg, Asenberg, Vokenrohe*; aliqua etiam expugnarunt & igne deleverunt. Et cum Imperatori alia in pacta reconciliari nolent, quàm ut castella, quæ ad oppressionem eorum per Saxoniam & Thuringiam extruxerit, sine dilatione dirui jubeat, ille, quanquam intolerabile judicaret castella sua destruere, & hostibus suis præmia pro suppliciis reddere, necessitate tamen coactus, consensit tandem, & pace initâ, destinatione circumquaq; nuntiis mandavit: *ut ab oppugnatione castellorum exercitus abduceretur, & hi, qui in castellis erant, nihil deinceps hostile in Provinciales facerent, sed ubi primum cibaria, quæ in diutinam belli administrationem affatim congesta fuerant, consumsissent, ipsa castella provincialibus traderent funditus diruenda.* Et cum paulò post *Heinricum* conventorum pœniteret, Saxonum denudò impetu Goslariz in ipsum facto, ad implendas condiciones, agerrimè licet, fuit adactus, tandemq; castella dirui passus est A. 1074.

Sed quorsum hæc prolixè adeò recensita, quid Saxoniz cum Originibus Curiz, mihi quis hic oggerat? cui paucis responsum volo, eum in finem hæc institutò nostrò latius fuisse diducenda, ut tum turbulentissimus status illorum temporum, quibus Urbs nostra enata, tum etiam ipsa occasio, qua fundamenta ejus jacta, eò magis conspicua fiant.

Nempe dira illa pestis, qua pessimi quiq; hominum, erectis sibi hinc inde Propugnaculis, & scelerum suorum latibulis, latè undiq; conterminam deprædabantur terram, non solam invaserat Saxoniam aut Thuringiam, sed ulterius grassata, nostram quoque multum afflixit Narisciam. Ut enim dicente Poëtâ:

Regis ad exemplum totus componitur orbis;

Sic tyrannidem illam, quam *Heinricus*, aut perversi potius & sceleratissimi ejus ministri, è castellis suis exercebant, passim alibi & cum primis in Vari-

scia

(7)
scia, ignobiles quidam imitati sunt Nobiles, quorum nomina Historici illorum temporum data opera tacuerunt, ne maculam fortè celeberrimis inurerent Familiis, quarum vomicas tamen aut carcinomata, Prædones istos cum Augusto rectiùs dixeris, SVET. in Aug. c. 65. quàm generosam propaginem. Abusi autem hi locorum cum primis commoditate. Omne enim solum, quo nostra nunc gaudet Curia, & longè latèqve circumjacentem terram ingens solitudo, eremi & nemora densissima deformaverant, cujus sylvæ, postmodum succisæ, ultra & cis urbem hodiernum restant reliquæ. Hæc apta sibi latibula illi occuparunt, arces exstruxerunt, & transeuntibus sylvam non tantùm ruricolis, in proximis pagis habitantibus, vim intulerunt; Sed Viatores maximè, & quibuscunqve per hæc loca iter faciendum erat, Harpyjarum instar involarunt, bona eorum diripuerunt, sanguinem non rarò profuderunt, & ita omnem illam diritatem exercuerunt, quâ de Saxones supra acerrimè audivimus conquestos.

Habemus hodiernum notas feritatis hujus, ipsi Urbi nostræ impressas, vicum scilicet illum, in inferiori Novæ Urbis parte, quem vocant die Nord-Gaß/ & vadum viculumqve alium extra urbem, quæ utraqve *Felicium* gaudent nomine, der Seelige Furth/ proximè ad Fullonicam, nechst unter der Walck-Mühl/ & das Seelige Gäglein/ cis Salam, quo tendimus ad Nosocomium, eam nempe in memoriam, quod, qui ad ductum veteris regie publicæqve viæ (quæ per Salam fluvium, ubi Officinam Tinctoriæ, das färbe Haus/ præterlabitur, notissimo hodiernum vado, & plateam die Orla/ item die Nord-und Juden-Gaß/ & porro ultra Monasterium olim Franciscanorum, hodiè Gymnasium nostrum, usque ad alteram Salæ ripam duxit) inoffenso pede, illæsusqve à latronibus, ipsum prædonum nidum, die Nord-Gaß/ transisset, *Felicem* se deprædicaverit, cum præsentissimo vitæ periculo se noverit exemptum.

Sed iustrabimus ipsa castella Latronum horum paulò accuratiùs, quorum tria in confinio memorantur olim sita. Quæ enim Pinniferi montis jugis duodenario fuerunt imposita numero, illorum recensendorum labore supersedere me jubet laudati supra *M. Pertschii* industria.

Primum itaque ex illis conspiciebatur in Clausenberg/ quo nomine Antiquitati venit saxum illud, cui Templum Laurentianum hodiè cernitur impositum; & ex hac spelunca sylvam adjacentem transeuntium libertati præprimis insidiabantur accipitres isti. Secundum orientaliorem, respectu hujus, nactum locum, pagum scilicet dimidio lapide Curia distantem, Gattendorff; & Tertium æquali ferè distantia versus occasum, ab illo abfuit in Saalenstein/ quod saxum hodiè inter pagos Joditz & Unsersorzan
Salæ

(3)
Salæ immīnet. Et quamvis hæ latronum speluncæ reapse inter se differē-
bant, societate tamen in malum quàm amicissimè invicem conveniebant,
& hæc arte trinæ hæ erant constructæ, ut ab una daretur prospectus ad alte-
ram, à Salenstein in Clausenberg, & ab hac in Gattendorf, quo non tantùm
mutuis signis, interdum quidem erecto vexillo, nocte autem appensa later-
nâ, se invicem ad mutua auxilia & prædæ venationem provocare possent,
sed & facinoris socios commonefacerent, si quid fortè priorum elapsura
manibus, ne posteriorum falleret industriam. Sic ergò qui Charybdin vita-
re volebat, incidit in Scyllam, & minimè tuta peregrinantibus erat hæc via,
nisi junctis transirent catervis, quæ hosti depellendo animis sufficerent.

Respexit tandem propitium Numen miseram hanc terræ nostræ faciem,
& cum Saxones Thuringiq̃ve laudabili exemplo Nariscis nostris, demolien-
do scilicet castella sibi tantum noxia, prævisissent; illi haut secuti segnitores;
cum primis ingenui quidam Nobiles, qui non nuda nomina, sed ipsam vir-
tutem præ se ferebant, his confines desertis, inter quos nominantur *Nobiles*
de Kotzau, Sparneck, Rabenstein, Feiltzsch & Lüchau, collatis in medium con-
siliis, ut tandem securitatem præstarent subditis, & tam dirum suis illorum-
q̃ve cervicibus dejicerent jugum, unâ mente manuq̃; animosi rem sunt ag-
gressi, spissam primò sylvam, latronum latibulum, exciderunt, ipsa postmo-
dum invadentes castella, illa expugnarunt, diruerunt, & ejectâ fugataque
pessima illa hominum colluvie, solo æquarunt. Ne autem Zizania se-
mel eradicata, quæ facilis ejus est natura, denuò succresceret, illico, locò
tam insidiosæ sylvæ, ab ipsis excisæ, viculum quendam ad Salam fluvium
construxerunt, propriosque subditos, villicos & colonos alios, tanquam
coloniam huc traduxerunt, & ita felicibus omnibus veteri Urbi Curia sua
dederunt primordia, quæ novis incolis ob soli commoditatem, & loci a-
mœnitatem, indies aucta, brevi in suum excrevit decus, & justam oppidi
magnitudinem. Hæc autem omnia circa Annum Christi 1080 fuisse facta
videntur; Et nominatorum supra Nobilium operâ ductuque ea contigisse,
directum, adhuc prout in jure vocatur, *Dominium* domuum, hortorum, agror-
um, pratorumque dictis Nobilibusolim, & partim hodie quoque per-
tinentia, satis firmiter probare videntur.

Ne autem noviter excitato vico divina deessent auspicia, de Templo quoq̃;
statim fuerunt pii Majores solliciti, & castellum illud in monte Clausen/ à
prædonum impuritatis mundatum, in bonos contulerunt usus, Deoq̃ve
Sacellum ex illo condiderunt & dicarunt, quod alibi fusiùs diducendum.

Reliquas duas deprædatorias arces, genuino enim hoc hodiernum veniunt
nomine: *Die Raub-Schlösser*/ non nisi è ruderibus suis habemus notas.

Alte-

Altera quidem urbe occidentalisior, *Scalenstein* à quâ non procul leues aliquot domunculae, hoc ipso nomine insignitae, absunt, non nisi saxa ostendit, magni cujusdam operis monumenta, & spariosam satis vetusti castelli aream, duplici fossa cinctam, in quam utramque aqua ex præterfluentis alveolo, quem *Götrabad* appellant, facili negotio potuit derivari. *Gattendorfense* vero castellum majores adhuc ostendit murorum lacinias, fossa itidem cinctas, & subterranea ejus duplicem cellam, carcerem quoque, foribus lamina obductis, habent residua. Olim equidem plura in formidinem de diruto illo castro sparsa, ipsi jam *W. DEMANNO* annotata, ut, quod varia spectra suos inibi exerceant iusus, nocte cum primis homines hinc inde discursitare, plenis quoque ignibus cuncta quandoque collucere, interdum etiam *Vulcanus* in cornu appensus, & alia videantur, nec non prætereuntes lapidibus petantur; hodie verò rumor ille fere evanuit, aut quod consuetis ejusmodi non moveantur accolae, aut quod spectra, ludicrorum perfracta, arida hæc ulterius non infestent.

Sed utrum, aut neutrum potius sit, nos è diverticulo in viam, & à *Veteris Urbis Originibus*, breviter diductis, ad *Novam* accessum nunc molimur, quæ ipsa 150. annis ista est junior, & cujus hæc tradunt incunabula: Scilicet cresebat *Veteris Urbis* magnitudo, ope & adminiculo laudatorum *Nobilium* indies, & cum *Bertholdus IV. Marchio Istrie, Comes in Andechs & Disfen*, qui A. 1180. à *Friderico I. Imp. Dux Meranie & Voilandie* declarabatur, illam statutis *Civilibus, Legibus Politicis* pariter & egregiis *Privilegiis* donaret, eò major novorum civium factus est concursus: quibus commode excipiendis cum area *Veteris Urbis* non sufficeret, tam laudatus modo *Meranie Dux*, quam *Successores* ejus, concessis novis immunitatibus, tum *Veteris Urbis* incolis, tum accolis & *Nobilium* subditis, aliisque legitima dimissione & ingenuo sanguine gaudentibus, eam fecerunt gratiã, ut promotis ulterius, septentrionem versus, ædificiis, *Novam* conderent Urbem.

Effectui autem id datum circiter A. Christi 1230. sub regimine *Otonis M. seu I. Marchionis Istrie, Ducis Meranie, &c.* qui, cum potentissimus esset Princeps, ut alio videbimus loco, & urbium, arcium, Monasteriorumque extructione impensè delectaretur, suo adnata novæ Urbis profuit incrementis. Verùm nobilissimi ejus conatus præpropere morte in herba ferè sunt intercepti; & cum filius *Otto II. Patris* multum esset dissimillimus, plus voluptatibus indulgens, quam curæ regiminis vacans, tardè, aut penitus non *Novæ Urbis* processerunt molimina, & ædes ultra *Michaëlis Templum* vix fuerunt productæ. Illæ quoque quæ constructæ, nemine opus sollicitæ cum curâ dirigente, admodum præter ordinis, publici deco-

ris, & amoris in proximum regulam sunt collocatae, dum alter alterius o-
 dibus suas struxit prominentiores, lucem & prospectum impedivit, pessimo
 quoque observatis Architectonicæ Legibus; id quod inordinata illa ædium
 series, quum à porta superiori versus sinistram, in ipsum forum progredi-
 mur, & cum primis *Platea Ulterior*, die *Hinterer Gaß*/apertè loquuntur, Cum
 autem hic *Otto A. 1248* diem suum clauderet, & ejus provinciæ in varias
 dividerentur partes, Curiaque ad *Ottonem, Comitem Orlamundanum*, per *Bea-
 tricem Conjugem, Ottonis M. Filiam*, devolveretur; Urbis structura per
 forum inferius ad portam usque fuit continuata, viculis quoque binis
 aucta, quorum prior ab eo nomen, die *Orla*/obtinuit, posterior ab *Aræ* am-
 plitudine, *der Platz*/vocatur.

Sed brevi Civitas nostra hunc mutavit Dominum, & in *Heinrici, Advoca-
 ti de VVeida, &c.* manus concessit, qui ultimum complementum, mu-
 rum sc. & arcem superaddidit, & ita in plenioram Urbis gloriam, mœniis
 & propugnaculis cinctam, fortè circiter *A. 1260*. illam transcripsisse
VVidemanno asseritur.

Et bene est, quod dubitandi particula forte animum non ubi vis confir-
 matum prodat *WIDEMANNUS*; si enim verba ejus ita accipias, quod, præsentè
 adhuc & munitionem urgente *Henrico* illo *de VVeida*, circiter *A. 1260* hæc
 fuerint gesta, falsa deprehendes, cum quadriennio jam ante, nempe *1256*
 illum diem suam obiisse, ex domesticis *Illustrissima Ruthenica Familia* monu-
 mentis afferat solertissimus *Stemmatibus Ejus* Consignator, *Dn. Petrus BECK-
 KLER* p. 17. Sed excusari forte meretur error hic leviculus, cum operis, lau-
 dabili ejus conatu incepti, post mortem verò illius continuati, feliciterque
 ad finem deducti gloriam non absurdum sit asserere primo illius Auctori.
 Alius autem hic superest scrupulus, qui me magis habet sollicitum, nempe
 quod laudatus *Stemmatographus* aperti, ejusque crassioris erroris arguat no-
 strum, cum citato loco inquit: *M. En. Widmann in seiner Hdsfischen Chronik
 irret/wann Er spricht: Daß dieser Heinrich die Stadt Hof/ samt dem Land
 der Regnitz A. 1248. von Graf Otten zu Orlamunda/ allererst erkauftet habe/
 da es doch sein Herr Vater erblich schon innen gehabt. Et in vitâ ipsius Paren-
 tis Heinrichi sequentiâ narrat: Von dem Geschlecht der Graven von Orla-
 munda erhandelte Herr Heinrich/ Dort zu Weyda/ die Stadt Hof/ samt dem
 Land der Regnitz. Und weil dazumal nur die alte Stadt/ wegen herumliegenden
 der großer Wildnüss/ sehr unbequem stunde/ ließ Er gleich daran unterhalb
 der Sala/ eine Neue anlegen/ die Er und seine Nachkommen sehr erweitert/ mit
 einer schönen Mauer und Privilegiis reichlich versehen/ sonderlich aber eine
 ansehnliche Residenz und Schloß daran gebauet haben/ daß Sie daher auch
 CURIA Variscorum genennet worden.*

Duo

Duo hinc exsculpimus, aperta fronte cum nostris pugnantis, *primum*: quod non *Henricus*, qui *Senioris VVeidensis Lineæ* fuit conditor, nostram ab *Ottone, Comite Orlamundano*, coëmit Urbem, ut expressis literis asserit *WIDEMANNUS*; sed Pater ejus *Henricus Senior*, qui utriusq; *VVeidensis Lineæ*, tam *Senioris*, quam *Junioris*, fuit Propagator, & inter quatuor *Henrici Divi- sis* filios, primus extitit, eam jamdum, emtionis jure acquisitam, possederit. *Secundum*: quod hic ipse quoq; *Henricus Senior* Fundator sit *Novæ Urbis* nostræ, non autem tres *Ottones*, pater & filius *Meranii*, & *Comes Orlamundanus*, quod eodem *WIDEMANNO* Hodegeta supra docuimus. Fateor, me omnibus hic optare votis, ut in amica hac cum *WIDEMANNO* lite, monumenta sua adduxisset *Dn. Beckler*, ex quibus hæc hausit, iis enim cum nostris ad veritatem excusis, lubentissime in ejus concederem sententiam, cum nullum antiquitati nostræ *Novæ Urbis* asseritione hac intorqueat arietem. Sed cum ea tacuerit, veniam dabit Fautor noster multum colendissimus, si has sententias ad *Chronologiæ* modestè conferam normam. Scilicet in eo nobiscum consentit: *Dominos de VVeida* emtionis jure à *Comitibus Orlamundanis CURIAM* acquisivisse. At unde hi receperant? à *Ducibus Meranie*, respondent inventa hæctenus monumenta Patria omnia Jam, iisdem testibus asserimus: ultimum *Meranie Ducem* *Ottonem* A. 1248. *Plassenburgi*, aut, ut alii volunt, *Nisæ*, in arce haut procul à *Lankheimensi* *Cœnobio* sita, fuisse extinctum. Demus nunc, vel biennium, aut unum saltem annu, *Ottonem Orlamundanum* tenuisse *Curiam*, quod excitati integri vici, die *Orlamundani Platz*, reddunt credibile, non enim ullibi *WIDEMANNUM* asseruisse puto, dicto statim anno, *Ottonem Orlamundanum Curiam* vendidisse, quod ipsi supra tributum legimus, sed mortis tantum *Ottonis Meranii* annum, numero illo innuisse; *CURIA* itaq; *Henrici Senioris* esset facta A. 1250. Jam autem dubio procul hoc tempore, ille jam diu inter vivos esse desierat, qui anno 1176. *Comitis jam Orlamundanam, Luthariam* duxerat. Posito enim, vel vigesimo ætatis anno *Conjugium* iniisse, *Centenarius* senex erit constituendus, si ad A. 1250. coëmitionem *Curie* produxeris, quod ego haut asseruerim! Nec ipse *Dn. Beckler* recentiora de illo monumenta citare voluit, aut potuit, quam de A. 1206. Nō itaq; video, qui salva *Dn. Beckleri* affectione, tricis his me extricem, qui *Davog* sum, non *Oedipus*, ni hæc forte, mera tamen conjectura nostra inveniat locum: toties laudato *Henrico Seniori* jus aliquod *Prætensionis* aut *Expectationis* in Urbem *Curiam*, & quidem jam à *Patre Henrico III* quem *LANGIUS Chronico Citizensi*, totius *Terræ Advocatum, Præpotentem Possessorem & Dominatorem* ad A. 1193 vocat, suppetiisse, contra quod tamen beati *Possidentes Ducis* fuerunt *Meranie*, donec familia illorum extincta, ad *Orlamunda-*

num, & brevi ad *Henrici Senioris* Filium, exsoluto certo pretio, pervenit. Hæc cessit ergo & illa sententia dictum *Henricum Seniore* Novam Urbem *Curiam* condidisse; & supra allatis Fundatoribus jus suum quoad antenus vindicatum, quibus nunc reliquam Urbis structuram subjungimus. *Suburbium, Vicus piscatorum, die Fischer = Haß! & Domus fosse imminentes, der Hintere und fôrdere Graben* non uno eodemq; condita tempore. Illud equidem sub *Dominorum de Weida* regimine ad pontem lapideum inferiorem; bis zur unsern *Steinern Bruch* fuit productum, & reliqua per partes, diversis temporibus addita, & novis subinde incrementis, pro civium commodo, fuerunt aucta.

Et hæc de *Originibus Urbis Curie*, quam fieri potuit brevissimis, dicta nunc sufficiant. Interea ut illud quoq; agamus, cui agendo hæc sunt præmissa, invitatoria nunc voce *Musarum Nostrarum Atlantes & Patronos* compellimus. Sistent se nempe in campo Oratorio ad proximum Lunæ diem, ab ipsis sacris matutinis, tres *JUVENES*, pii, & quantum per bonitatem nature, quâ alter alterum excellit, ipsis licuerit, ad metam propositam ex voto nostro collineaturi; Primus nempe

JOHANNES GEORGIUS Dieterich / SELBENSIS,

estimata labentis auctumni utilitate, qui fructus & alia per hyemem victui necessaria colligenda præbuit, sub exemplo encomioque Formicæ suadebit, ut nos quoq; tempori invigilantes, labore & industria futuro provideamus usui. Secundo

CHRISTOPHORUS ANDREAS Meister /


Ahornbergensis, emulatione, quæ bona alit ingenia, ex formicæ laude contra-icta, Aranæ admiranda exponet, usuiq; inculcabit nostro; & denique Tertius,


JOHANNES CONRADUS Rôpster / Kir-

chenlamicensis, tempori se accommodans, Anseris utilitates de prædicabit.

Quorum conatus exilis licet, & pro ætatis ingeniiq; captu tenuis, cum laude tamen sit dignus, & ad majora indies stimulo sit excitandus, *Musarum Nostrarum Mæcenatem Summum, SERENISSIMI Nostri Consiliarum Intimum, Supremum Aulae Mareschallum, & Districtus Curienfis Exarchum Eminentissimum, Illustrissimum Comitem ac Dominum, Dominum JOHANNEM ALBERTUM, Comitem de Ronoy & Biberstein, Dominum in Oppurg Knauen Klobiz & Grünau, &c. Dominum nostrum Gratosissimum; Maxime Reverendum & Præ-Nobilissimum Dominum Superintendentem à VVA LDEGG in Kulmiz & Doebra-Stœcken, Gymn. inspectorem Gravisl. cum Reverendo Plurimum Ministerio; Excellentissimos Dominos Physicos ac Medicos; Consultissimos Dominos Officiales; Amplissimum & Prudentissimum Senatam, Gymnasii Patronum & Scholarchas; Honoratissimos Dominos Collegas; Clarissimos & Præ-Eximios Dominos Studiosos, submissâ animi ac decenti devotione exoramus, ut frequentes huic Actui adesse velint, quod obsequiis ac officiis demereri, hoc sponfore sanctè in nos recipimus.*

P. P. Dom. III. Adventus, Anni currentis clò lcc LXXXV.





O

M.JO.C

NES

IÆ,
torio,
ANO,
685, habendo;
e

ayriz/Gymn.Pa-

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black